



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**M. Antonii Marsilii Colvmae, Bononiensis, I. C.
Archiepiscopi Salernitani, De Ecclesiasticorum Reddituum
Origine, & Iure Tractatvs**

Colonna, Marcantonio

Venetijs, 1575

Illvstriss. Ac Ampliss. Viro M. Antonio Marsilio Colvmae, Archiepiscopo
Salernitano, Petrus Follerius, S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61495)



ILLVSTRISS. AC AMPLISS.

V I R O

M. ANTONIO MARSILIO

COLVMNAE, ARCHIEPISCOPO

SALERNITANO,

Petrus Follerius, S. D.



ERLEGI his diebus, Amplissime Domine, opus tuum de Ecclesiasticorum reddituum origine & iure, illudq; adeò elaboratum, elegans, & miro ordine conscriptum reperi, vt mea quidem sententia, nihil illi addi, aut minui possit. Habet enim materiam perpulchram, necessariam, atque vtilem. Quid enim vtilius & melius pertractari, & in scriptis mandari posset, quàm quod conscientias pacatas & tranquillas reddat? quidve optabilius, quàm quòd originem rei à mille seculis apud complures Catholicos authores sparsim conscriptam contineat? quid elaboratius fieri potuit, quàm quòd opiniones omnes, quæ hac in re afferri possent, adamussim, & qua illæ ratione coniunctæ sint, discutiantur?

riantur? quid demum perspicacius, quàm quòd veræ Do-
ctorum & Theologorum sententiæ ex fide, & sine alio-
rum iniuria recenseantur? Existimo quidem adeò neces-
sarium fuisse opus, quòd absq; eo synderesis illa nostra-
rum animarum in incerto esset. Præter hoc verò, quòd
commune bonum respicit, illud amplius, tu Marsili,
præstitisti, quod tuorum Antecessorum cognomini, nimi-
rum, vt coniectura feror, Martis asilo, quòd Aquilam,
lilia, Turres super aquam gestarent, vnde clarissimum
Marsiliorum hoc cognomen fluxit; columnam, elaboratam
nempe doctrinam tum in legali scientia, tum Philo-
sophia, Theologia, & aliis literarum studiis addidisti, ac
illustrius illud reddidisti. Accedat, quòd cognoui te in li-
terarum studiis adeò peruigilem, adeò studiosum ac per-
spicacem, vt maiora à te in dies ætas nostra expectare de-
beat. Vale, Romæ Quarto Non. Quintilis. M.D.LXXIIII.